

& vocare Anacardia. Auertores reponit inter noua medicamina. Paulus describit Theodoretum, quam per Anacardia vocat.

ADDITIO.

SYLVII. **V**ITAE, & cetera immodice calefacientia, & vacuata, quia calidissima est, solisque multum frigidis secuta. Nam spiritibus accensis, febres excitat diarias, a quibus saepe transitur in putridas, vel hosticas: ferè autem vsurpatur ad febrem excitandam in morbis frigidioribus. Datur autem post sex menses, cum, si vis anacardorum feruendo expirauit, ante namque vti est periculofum. Antidiamardon Aët. ad vertiginosos, comitiales, difficulter spirantes, & ileosos, menses pellit, incipientem hydroperem, & cachexiam sanat: recipit anacardorum, epithymi, acori, piperis, saxifragæ, malthicis, iridis, myrabolani, singulorum quadrantem: croci, castæ, folij, spicæ nardi, mei, agarici, iunci odori, rhei, singulorum sescunciam, aloes sextantem, caryophyllorum vnc. j. mellis quantum erit satis. Mel vero anacardinum, cui incocti sunt anacardi recentes, & relict, vsu frequens est, in compositionibus præferum, vt post leges.

COST. **P**IPERIS nomine, quod inter species piperis maxime excellit intelligendum: illud nigrum est acrius, & odoratus, & albo, & longo. vt propterea errent qui album aiunt esse simendum. Beduister castoreum est. cur interpret non dixerit latine vt in superioribus, ignoro. Durum quid sit nescimus. pro eo nigella vterer, vt etiam alij. habet enim Serap. in descriptione quadam Anacardinæ confectionis, nigellam.

DISTINCTIO SECUNDA.

de Medicinis opiat.

MESVE.

CONFECTIO Philonij. **A**NTIDOTVS Philonis efficacissima, & expertissima ad sedandos vehementes, & lethales partium dolores, ventriculi, coli, hypochondriorum, hepatis, lienis, renum, vteri, excitatos à crudis humoribus aut flatu crasso, aut amborum causa intemperie frigida: valet etiam ad suffocationis periculum, singultum vehementem, vrinæ difficultatem: ob hæc à morte impendente vindicat. Rec. autem piperis albi, hyoscyami albi, ana dra. xx. opij drach. x. croci drach. v. spicæ, pyrethri, castorei, ana drachm. j. mellis despumati quadruplo omnium excipe. Addunt aliqui moschi scriptulum vnum. Datur quantitas ciceris, aut fabæ parua, cū liquore aliquo conuenienti.

CHR. **S**ECUNDA distinctio est de medicinis Opiatis, quæ ad formam electarij reducuntur, & dicuntur Opiate, quia in eis ingreditur opium, vel aliæ medicina stupefactiua præferentes in virtute similitudinem cum opio, vel cum eis insimul ingreditur opium. ponuntur etiam cum istis aliæ medicina multum calidæ, quæ habent corrigere malitiam opij, & aliarum similitum. Et hæc est secunda pars principalis superius diuisa, in qua determinat de electarijs opiat, quorum vsus non est conueniens nisi in casu magnæ necessitatis, & cura cautela, vt dictum est supra in expositione theriacæ Andromachi.

Notandum, quod duæ famosæ descriptiones ponuntur ab auctoribus de Philonio, & vbiq; generaliter præparantur. vna ipsarum ponitur à Nicolao, quam vocat Philonium Romanum, & eam ponit Auic. 5. can. qui ipsam describit, & adducit auctoritatem Galen. in lib. x. tractatum. vbi tale Philonium Romanum summe commendat, & fuit inuentum à Philone medico Romæ, & principaliter conuenit ad somnū inducendum, & ad sedandum acutissimos dolores, & magnos, & plura alia iuuamēta habet, quæ ponit Nicol. Ibi ergo cum ipsum exponemus prædictam descriptionē aperte declarabimus. Alia famosa descript. quæ multum habetur in vsu, ponitur à Mes.

B inferius cap. de sputo sanguinis à pectore, & vocat ipsum Philonium Persicum, quia inuentum fuit à Persis. In expositione illius literæ non procedam. hoc Philonium est multæ virtutis, & excellētis vtilitatis, & principaliter ad omnem fluxum sanguinis vndeunque emanet, & maxime a pectore, vel à matrice, vel ab hæmorrhoidibus, est etiam sedatiuum dolorum intrinsecorum, & somni prouocatiuum, licet non tantum quantum Philonium Rom. & vsus eius debet esse ad minus transactis sex mensibus à die constructionis, nam ante esset timor de opio, & alijs medicinis stupefactiuis, & hæc fuit vna regula generalis, in qualibet medicina opiata, quod inueterata, ultra quatuor annos non sic vigore operatur. Dosis autem Philonij Persici, & similiter Romani, est sicut cicer, de sero post cenam vna hora transacta cum

C modico vini, vel sine ipso, cum quærimus somnum prouocare. Cum autem intendimus, sedare dolores seu fluxum sanguinis prohibere, nisi vacuo stomacho à cibo, & superfluitatibus, nō est exhibendū, neque post v. horas est cibus assumendus, vt de theriaca dictum est. Insuper multum laudo, quod Philonium non exhibeatur nisi post vniuersales euacuationes, & iste canon regularis, & verus in qualibet medicina stupefactiua, cuius Philonij persici hæc descriptio. Rec. papaueris albi, alias piperis albi, & est melior litera, & de pipere dictum est. Sed papaueris, tres sunt species, est enim papauer album scilicet, quod habet semen album, quod est domesticum, & hortulanum frigidæ, & siccæ complexionis in secundo gradu. Et est aliud, quod habet semen nigrum, frigidæ, & siccæ complexionis in tertio gradu, ex succo

D cuius papaueris nigri, qui colligitur per incisionem eorum capitum, dum talia papauera sunt recentia, fit opium, qui succus est frigidæ, & siccæ complexionis in quarto, sicut est ipsum opium. Est, & aliud papauer, quod habet semen rubeum similiter, quod attinet alicui caliditati: sed est siccum in tertio, & tale semen non est in vsu. Hyoscyami tres sunt species, scilicet seminis. Nam quædam sunt semina alba, quædam rubea, & quædam nigra. sed species rubei, & nigri sunt omnino fugiendæ tanquam venenosæ, & non sunt in vsu medicina, & sunt frigidæ, & siccæ complexionis in fine tertij, licet rubeum sit minus frigidum. Qui vero facit semen album est in vsu medicina, & est frigidæ, & siccæ complexionis in tertij principio, est valde notum, vulgo dens caballinus vocatur. Terræ ligillatæ, opij, ana drachm. xj. sa-

Mesue.

T

tharagi,

Tres papaueris species.

Tres hyoscyami species.

tharagi, idest thapsia, croci, ana, drachm. v. castorei, spica. f. nardi, euphorbij, gummi est cuiusdam arboris in partibus profundis Indiae, & est calidum, & siccum in quarto, ita quod est calidius, & siccus quolibet alio gummi, & usus ipsius per se est magni periculi, quia est medicina venenosa, soluit tamen phlegma à membris remotis, & dosis eius est chirath vnum, quod est pondus granorum quatuor, & non administratur nisi cum medicinis corrigentibus, ut si per noctem infundatur in succo citri, aut aqua hordei, sibi admiscendo quartam partem masticeis. Pyrethri, radix est herbae nota, calida, & sicca complexionis in tertio, & quae radix in ore retenta attrahit phlegma à capite, & mordicat linguam, & palatum. Margaritarum non perforatarum, charabae, ramich, ana drachm. i. Ramich est compositio facta ex gallis quercus, & passulis, ut ponit Serapio in suis simpl. c. de ramich. & gallae sunt notae, & sunt frigidae, & siccae in secundo cum multa stypticitate. passulae pariter sunt notae, & sunt calidae in secundo, & humidae in fine primi. Camphorae. vnc. i. mellis cocti q. s. Et quando assumitur pro constrictione sanguinis debet assumi in dosi superscripta cum aqua plantaginis, vel eius succo, vel cum aqua rosata, seu aqua portulacae, seu succo acreste, vel cum vino pontico. ista sunt. de praedicto Philonio dicta, &c.

MAN. **V**ss horum admodum prudentem desiderat medicum, non adeo audacem, ut ubi opus non est, eis utatur: nec adeo timidum, ut quoties vrget necessitas, eorum usum reformidet.

MAN. **V**tere hoc tanquam vero Philonis medicamine, & dimitte alia. **INVENTIONE**. propria.) Scilicet Philonis. **CASTORIVM.**) Galenus non ponit. Dosis eius, ut cicer conuenit pueris: ut faba parua, debilibus: ut auellana, prouectoribus ac robustis.

SYLV. **S**ic Philo medicus Tharsensis praestantissimus scripsit elegia. Seco carmine eleganti, sed aenigmatibus de industria obscurato, apud Gal. lib. 9. comp. phar. secundum partes: nisi quod euphorbium habet, Mesues vero castorium: in ceteris, & ponderibus idem sunt. Hoc ferè primum anodynorum antidotorum celebre extitit. Huic autem quidam ademerunt alij addiderunt, nonnulli etiam ponderibus euariantes, magnum fecerunt numerum antidotorum anodynorum principalium, quae etiam antidoti colicae vocantur, ab affectu maximos dolores experiente. Ex aromaticis tamen dictis medicamentis Philo solam nardum imposuit: qui vero illius aetate extiterunt, alius aliud, nonnulli plura adiecerunt, ut schorru anthos, cassiam, cinnamomum, amomum, costum: alij loco croci crudos humores, & dispositiones crudas coquentis, alia etiam coquentia, myrrham, castorium, iniecerunt alij etiam semina haec, felleos, apij, anisi, cumini, fauci, petroselinum, ameos, ut medicamenti amaritudo horum suauitate obtunderetur, utque medicamentum facilius distribuere, & urinas moueret, & humores crassos, si essent, tenuaret. Hoc Philonis medicamentum, & similia, post annum à compositione sumenda sunt, ad annum usque decimum: ad quod usque tempus stupefaciendo sensum partis, dolorem tollunt efficaciter, post languidi sunt viribus. Gal. lib. 2. meth. Dosis est adultis, auellanae magnitudo: minoribus, fabae: pueris, cicris: cum potione conuenienti. Quidam addunt moschi scrup. vnum. Aetius, Paulus, Oribasius, Aetuarus, Mesues, sic ut Philo componunt: nisi quod Paulus, & Aetuarus, & Mesues piperis albi iniiciunt drach. xx. Oribasius xxv. hyosciami autem drachm. xx. Mesues, & Oribasius, seu Paulus drach. viij. & Mesues castorium pro euphorbio miscet: excipitque mellis despumati lib. ij. Philonis medicamentum aliud facit Mesues in opere medico, cap. de sputo sang. longe ab hoc diuersum, quod Persicum appellat. Hae antidotis frigida te immodica nervorum spiracula (per quae spiritus animalis sentiendi, & mouendi vim transferens distribuitur) contrahit, & densat: ob idque illi spiritui viam pracludit, quomodo compressio

violenta, & diuturna nervorum à vinculo, fessione, innoxu, tumore aliquo prae naturam. Vbi vero partes sentire desinunt, dolere non possunt, cum citra sensum tactus dolor non fiat, ut docet Hippocritus lib. de Natura hum. & Gal. lib. de elementis. Hae ratione dolores omnes sedare opium, & ex eo composita, dicitur, abusu scilicet loquentibus, cum proprie anodynum sit nequaquam. Hivero dolores, praesertim colici, saepe tam sunt vehementes, ut quosdam syncope sustulerint, alios ad consciscendam sibi mortem impulerint: ob id Philonis antidotum à morte liberare dicitur. Opiata, & ob opium stupefacientia medicamenta ante sextum mensem non vitanda, post sex annos imbecilla sunt. De usu recto huius, & similibus Galenus abunde lib. 12. methodi, & aph. 3. lib. 6. Dolores oculorum, &c. & nos lib. 3. nostrae methodi. quamuis dolores hos à causa frigida procedentes auert Philonis antidotus, tamen quia dispositionem horum causam auget, parum tuta est in his affectibus: nec adhibenda, nisi summa necessitate: in calidis vero dispositionibus dolores tutius sedat, & horum saepe causas vna abigit. Cum multis ex causis exspirandi difficultate adueniat suffocationis periculum, id cui esse remedium haec antidotus scribitur, videtur esse quod à cordis, aut pulmonis incendio prodit: ut aeger, scilicet afflare magis, quam expirare cogatur, & cito multum inspirare. Nec singulum ab intemperie frigida sedare videtur, sed eum, quem mordax, & calidus humor, vel piper, vel aliud excitauit, praesertim quibus os ventriculi est magis sensibile, qualem singulum Galenus saepe se expertum ait. Urinae difficultatem intellige, quae ob lotij mordacem multum acrimoniam fit, siue ea sit à pure, seu bile, seu arenulis, seu pituita falsa, seu calculo vesicae, seu qualitate alia lotij mordente. Dum enim sensum vesicae stupefacit, non doletur, sed periculosus est usus, quia, ut virium aliquid retineat quando ad vesicam ventum erit, sumi vehemens, aut largum, & partibus quas permeat noxium, oportuit, nisi per meatus urinarii iniecias. Sed neque in his dispositionem sanare: sed datur, ut quiescente interim dolore vires omnes multum prostermentem per apprehensionem, spiritus animales conquiescant, & somno etiam conciliato instaurantur, quibus iam confirmatis, nec alijs dissipatis, eger possit dispositionis remedia sustinere. Eadem ratione in ardentibus, & mordentibus urinis semen papaueris, hyoscyami, & similia hodie miscet apozematis, conditis, & alijs horum remedijs. Alterum est Philonicum antidotum Mesue in sputo sanguinis, quod Persicum vocat, forte quod in Perside sit inuentum: quomodo Nicolaus suum Philonium vocauit & emanum, quod Romae in usu celeberrimo fuerit. Praeter dicta Philonij huius medicamenti opera, haemorrhagiam omnem potenter sistit, siue sputo fiat, siue vomitu, siue ex vtero, vel haemorrhoidibus. Somnum item conciliat, & per se refrigerando, & per accedens sopito dolore somnum interruptente. Vitandum vero non est Philonium, nec aliud opiatum ante menses à compositione sex, & horis 5. ante cibum est sumendum, vacuo scilicet omnino ventriculo, & factis prius totius vacationibus idoneis. Castorium omittit Gal. vide lib. 9. comp. ph. local. Pueris datur cicris quantitas: debilibus, fabae paruae: grandioribus, & robustis, auellanae.

VARIAT nonnihil à Philonis antidoto, quod **COST.** Gal. 9. de comp. per loca assert. neque enim is castoreum ponit, neque mellis mensuram praescribit. Sed & Galenus, si de tanto viro dicere liceat, à Philonis mente recedere illic videtur, neque enim spica nomine Philo nardum Indum petit, ut arbitratur Gal. sed Creticum, quae ipsum est Dioscorida ph. Indam autem spicam nullus adhuc prodidit in Creta nasci. Sed nonne illic etiam scribit Galen. sibi plane repugnantia? quum Philo nardum petit, qui falso radix nuncupatur, subseribit Philoni Galenus, & nardum Indum vere spicam dici ait, falso autem radicem. At contra 1. de antidotis, falso vocari spicam asserit: neque enim esse spicam, sed radicem. Verum haec perpendant alij. Quod ad hunc locum facit, non temere etiam spica pro ph. in hoc sumitur medicamento quanquam praeter authoris Philonis sententiam, sed recipi tuo potest, ut etiam Mesue recipit. Ita, & castoreum non importune adijcitur, quod opij maleficium castigat.

ME-

M E S V E.



LI A Philonia antidotus descripta ab Hamech filio Zachariae, earundem virium. Recipit melanthij, castorij, piperis, ammeos, baccarum lauri, cymini, foliorum rutæ, calaminthes, opij, hyosciami, cortic. rad. mandragoræ, partes æquales. melle excipe. Alij scribunt, opij partes duas, croci, partem vnā. Datur à drachm. ij. ad aur. ij.

MAN. **N** ^{GELIA.} Melanthion, Gith. Nō tamen, quod vulgo sic vocant, id enim est melampyron, sed semen odoratum. Placet, vt apponatur crocus, & sint omnia æqualia. **N** alio. Nam duo aurei opij, plus essent, quam sit opus.

SYLVII **V** ^{IDETUR} in hac descriptione crocus desiderari, quam coniecturam, & suspicionem ingerit alia lectio: & certe si crocum, & alia habet æqualia, est præstantior. Priorem vero latius sum persecutus, quod antidoti opiatæ medicum desiderant prudentem, non autem temerarium in dando, vbi opus est. neque formidolosum, si eius vitæ necessitas contingerit.

COST. **I** **D** **N** **O** **N** prætereundum silentio, hyosciamum hoc in loco sicuti, & in superiori antidoto album sumi oportere. nigri enim, & rufum veneni vires habent, & insaniam faciunt. Sane quia hic, & in superioribus, ac sequentibus passim de castoreo meminit, non importunum, si ex eius historia aliquid afferatur. Castoreum ex fibro ancipitis vitæ animali abscinditur. folliculi sunt duo selibræ interdum pondus singuli æquales, ad inum ventrem positi. hos quia penem vtrinque excipiunt, constans semper viguit opinio eius esse animalis testes. quos etiam sibi abscindere, quum à venatoribus agitur, non nesciunt illorum quæri gratia, vulgus pro certo habuit. id literis Aelianus pro historia commendauit. 6. de historia animal. quod ferè, & Plinius lib. 8. vulgi opinionem sequutus. sed has esse fabulas, & Dioscorid. admonuit, & Plin. lib. 32. obseruatione Sextij medici. sunt enim hi, vt in sue, adeo astricti spinæ, vt auelli nequeant. Sed hos non esse eius animalis testes dissectione etiam compertum est. habent enim suos testes intra corpus gallinaceis non maiores. neque à superioribus partibus in hos folliculos, aut ab his in penem vllus meatus derivare conspicitur. Mathioli diligentissimi testimonio, vt in alijs. Sed habent hos etiam semina. emanatque ex ijs tanquam ab vberibus oleosus quidam liquor grauius olens, quem frequenter sibipse lambit fiber, lingua deinceps sese secati more delingens. Non sunt ergo testes. Sed neque renes. eos enim intus habet. Neque vesica. vna enim vni inest animali vesica, non due. Quæ nam ergo ea sit animalis pars hætenus non constat. Porro si hos folliculos seces, duplex spectatur substantia, externa solida, & carnosæ, & interna cerea vbi exsiccata fuerit. vtraque in medicina vsu venit. Sed adhæret præterea (quod Gesnerus aduertit) singulis ijs folliculus alter maximi digiti longitudine, albo, & pingui humore plenus, substantia molli, & mellea, putridi casei factorem referens, acris, & liquore cereo maioris folliculi ingrati. De hoc autem, vt ex docti Hermolai versione colligitur (hoc enim obscurauit Ruellius) meminisse etiam Diosc. constat, quum dissecta cute castoreum inbet au-

A ferri vna cum membrana quæ melleum liquorem continet, & siccatum potui dare. neque enim de maiorum folliculorum liquore intelligi hoc potest, qui supra ab ipso Diosc. cera comparatur non melli, & vere cereus est non melluius. Sed de castoreo satis. Cuius quidem, si quis roget quænam. vsurpanda sit pars, carnosæ, cereæ, an mellea: Arbitror omnia posse vsurpari. nēpe Dioscor. castoreum absolute cum membrana liquorem habente melleum, exsiccatum potui exhibet. Præstet tamen fortasse liquorem melleum paruius folliculorum, qui alijs partibus ingratiior est, & fetidior pro externis linimentis vti: cetera in antidotis vsurpare. Est vero hic etiam summe aduertendum, quod ad delectum facit, cauendum castoreum, quod est rancidum: quando id die vno necat. Auicenna testimonio. Sed cauendum etiam quod adulterium senserit. Dioscoridæ equidem tempore adulterabatur addito gummi, aut ammoniac cum sanguine, & castoreo, nunc vero, vt etiam Sextij tempore eiusdem animalis renibus, fæctis inde testium folliculis, atque infarcto seuo cereum illum liquorem mentiente fucari aiunt. Probatissimum castoreum. delineat Dioscorid. à quo non est discedendum. quærendum autem Ponticum, cæterorum præstantissimum, & vt Strabo ait, magis medicamentosum; tale vero etiam Damocrates in mithridatica antidoto exposcit.

M E S V E.



A Z E N N A frigidam intemperiem sanat, flatum dissipat, & sedat in natos dolores ventriculi, coli, vteri, dentium: vrinæ item difficultati medetur, & fecundas facit mulieres, potum, & pello cum lana, & oleo liliorum collo vteri impositum. Recipit castorij, f opij, piperis, macropiperis, galbani, costi, cinnamomi, phu, mei, dauci, afari, croci, æquales partes: excipit melle despumato: alijs, sapa. Datur aur. j.

L **I** **C** **E** **T** istud electarium non sit in vsu, laudo tamen eius vsu in doloribus ex materia catarrhali frigida, & humida tenendo super dentem, quantum est granum fabellæ illius electarij semel, aut bis in die, tenendo deglutionem eius propter opium, præmissa tamen digestionem, & vniuersali euacuatione illius materiei. habet insuper sedare dolorem stomachi, & renum, & vesicæ, & intestinorum à ventositate crassa, vel à materia phlegmatica: summe confert colicæ ventosæ, in qua phlegma multum in intestinis continetur, euacuatione tamen semper præmissa. Et mirabiliter confert mulieri sterili, & quæ cum difficultate impregnatur, bibitum, & suppositum in matrice cum lana in forma crassi stili, & cum oleo de lilio, non tamen vltra tres horas teneri debet, nec sæpe continuari, nec innouari, timore opij, à quo est fugiendum, nisi in casu magnæ necessitatis, vt sæpe dictum est. Et licet medicinæ excessiua caliditatis ingrediantur in descriptione omnium, in quibus ingreditur opium: virtus tamen opij longo tempore durat, & viget eius potentia cū virtute excessiua suæ cōplexionis frigida cū eius occulta proprietate: & in sui malitia aliquantulum remittitur à virtute medicinarum, qua virtute deducitur ad membra, & loca, ad quæ per se solum transire non possit.

CHR.

T 2 possit.

MESVE DE MEDICINIS SOLVTIVIS

posset. vsus autem huius electarij non debet esse nisi E post duos annos scilicet elapsos post eius constructionem, vsque ad septem annos, indispositionibus antedictis. In dolore autem dentium conuenit post sex menses ad obtundendum aliquantulum sensum, qui est in radice dentis, & ad exiccandum materiam illam.

MAN. EGO multoties hac vsus sum, praesertim in vteri affectibus, & satis profeci. c. v. m. rob. per hanc distinctionem significant. Arabes omnem succum crassorem factum: cum vero simpliciter proferunt, rob. vini intelligunt.

SYLV. PURGATO corpore, & cocta quadrantenus materia, denti dolenti imponi potest ter quater die, sed non diu, vt per horam tantum, citraque deglutitionem, ne opium simul deuoretur. Insterilibus etiam ob vteri intemperiem frigidam, quae semen extinguit, aphor. 62. l. 5. Pello inditur semel in die per horas tres, aut quatuor, & alijs diebus sequentibus idem. Nam nouasse periculum est, propter opium, cuius vim calida in partes deducunt: frangere omnino non possunt nisi tempore longo. Ob id citius ab anno post compositionem secundo ad septimum, sed in dolore dentium a sexto mense vsurpari potest ad sensum obtundendum. Manardus hoc saepe vsus se contra sterilitatem scribit non infelicitur. Alij Azarui antidotum: alij egecam: sagineam vocant.

MESVE



ATHANASIA magna, obstructionem hepatis, & lienis liberat, dolorem sedat, tum dictarum partium, tum ventriculi, renum, haemorrhoidum, quomodo Philonium antidotum. Thoracem pulmonesque expurgat, ob id asthma, & antiquam tussim iuuat, haemorrhagiam, diarrhae, lienteriam antiquam, dysenteriam cohibet. Hepar autem lupi, quod tota sua substantia morbos hepatis iuuat, huic mistum Galen. voluit. Nam recipit hepatis lupi, eupatorii, croci, mirrhæ, castorij, costi, cardamomi, spicae, nardi, opij, papaueris nigri, hyoscyami albi, cornu dextri caprae, vel (vt alij legunt) cerui, portiones aequales: terenda terantur, & alia in vino liquefiant: excipe omnia melle despumato, & post sex menses vtere ab aureo dimidio ad aureum vnum, cum vino dulci, & grato, aut cum sapa, & succo intybi, & apij.

CHR. SVMITVR hic hepar adib. i. lupi. quod est calidum, & humidum versus secundum valet a proprietate in passionibus hepatis, & maxime in opilationibus, secundum quod asserit Galen. quem allegat Mesue in hoc cap. Cornu dextrum caprae, alias cerui, & est melius, quod est frigida: complexionis in primo, & sicca in secundo, & etiam a proprietate operatur in passionibus supradictis, licet etiam conferat sua stipticitate cuilibet fluxui sanguinis, & maxime menstruum. Rob. idest sapa est calida, & humida complexionis in primo gradu. Endiuia vero dum recens, est frigida in primo, & humida infra primum. cum vero est sicca, est frigida infra primum, & sicca in eodem. habet insuper virtutes diuersas frigidas, & calidas, quibus mediantibus operatur in diuersis materijs, licet frigiditas superet eius caliditatem. quae est remissa.

MAN. DI P.) Lupi. DE cornibus caprae Sic, & Auic. cuius hac est descriptio. Alias habes a Pau. & Oribasio, sed & a Nicolao, quae parata communiter inuenitur: & est in astringendo longe quam hac efficacior. A Paulo etiam alia scribitur, quae Oribasij esse dicitur, nulli tamen cornu mentio: alioqui nemo nisi superstitiosus dextrum potius, quam sinistram apponeret.

EFFECTA Antidoto Athanasiae contraria tribuit Mesue, SYLVII vti theriacæ, & alijs opiatjs medicamentis. Nam quae obstructionem liberant, haemorrhagiam, & vacuationes alias sistentes sunt contraria. Item sensu stupefacto dolorem sedare, & crassa letaque ex thorace expectorare, causis pugnant. Illud enim frigidi cogentis opus est, hoc calidi dilatantis, accedente vi tenuante, incidente, tergente. Sed id facile recipies, vbi medicamentum hoc, vt alia eius generis multa, animalium more temperiem per aetates mutare: didicis, sed contrario illis modo. Nam animalia primo calida sunt, postremo, frigida. Hac vero medicamenta primo frigida, deinde calida euadunt. Effecta igitur frigori efficit a sexto mense ad annos tres cum aqua plantaginis intybi, rosarum, caloris ab anno tertio, ad decimum, victa iam frigidiorum vi a calidis: sumpta cum vino dulci, sapa, succo apij. Athanasiae antidoti, & ambrosij, passim meminit Galean lib. fani. mende, & methodo: in quibus theriacæ eas comparat: sed non describit, nisi quod Mithridatis athanasiam antidotum ab hac multum diuersam, sine hoc hepate describit lib. 2. Antidotorum: ob id, an hepar lupi Athanasiae misceri voluerit, compertum non habeo. Quid autem de hepate lupi censuerit Gal. in hepatis affectibus, in nostris simplicibus abunde expressimus.

Cornu cerui, & caprae vsa, & si opus est, lota idem pollere docet Gal. lib. 11. simpl. & lib. 4. c. ph. p. Athanasia autem idest immortalis, dicitur, vel quod longo tempore efficax perduret, vel potius, quod homines a morte, ex venenorum ictu, morsu, vel causa alia malefica vindicet, quae vis est praecipua Athanasiae Mithridatis, a qua, vel simili ista, videri potest denominata quae magna quoque dicitur, quod pluribus consistit simplicibus, quam parua Serapioni, & Haly etiam descripta, & Auic. ex quo hac descripta est. Quae autem a Nicolao describitur, est ad astringentior, & consuetior. In Athanasia Pauli ex Oribasio sumpta, cornu nulla est mentio superstitiosum autem est dextrum potius, quam sinistram imponere.

AFFECTVS contrarijs eodem praesidio tolli posse non mirum. atque adeo, quod Athanasia obstructiones liberet, & eadem haemorrhagia, diarrhae, lienteriae antiquae, & dysenteriae conferat, quod dolorem sedet stupefaciendo, & crassum ac lentum humorem pituitosum ex thorace trahat. Opij, papaueris, hyoscyami vi sedare dolorem potest dum stuporem sensitrici particulae infert, & fluxiones sedat refrigerando atque incrassando. Ad hac vero celeriter obeunda reliqua adiuvant medicamenta calore praedita. cui enim viscidos crassosque humores ac vapores concoquendo, diffecando, attenuando, discentiendo, ac etiam euacuando per insensilem perspiratum. meatus expediunt, & celerrimum frigidis ipsis medicamentis iter parant. atque adeo contrariorum medicamentorum ratione, idem compositum medicamentum contraria affecta obit: non dicam, vt Syluius, vno tempore vnum, alio aliud, sed eadem semper. quamquam enim non sum nescius in huiusmodi antidotis stupefactoria priori aetate maxime rigere, minus autem postea, non aboletur tamen prima aetate transacta eorum vis, praesertim opij, quod plures annos integras vires seruat: sed caloris concoquentis actione minuitur tantum ac temperatur; & quod vnius aut duorum erat medicamentorum proprium, in antidotum totam per minimas eius partes diffunditur. tunc vero stupefacit, non opium, non hyoscyamus, sed Athanasia ipsa ac Philonium, opij, & hyoscyami, & reliquorum omnium simplicium formis, ac viribus in vnam veluti nouam formam totius compositi redactis.

ME.

MESVE.

DIA S V L P H V R confert febribus diu-
turnis, vt melancholicis, phlegma-
ticis. thoracem ac pulmones purgat
pituita crassa, lenta, pure: ob id tus-
sim antiquam, & difficultatem spi-
randi inde natam leuat. splenis duritiē minuit,
& inde natam hydropem: vrinās mouet: cal-
culum frangit, moribus venenatis, & potō iam
veneno prodest. Rec. autem piperis albi, & lon-
gi, ana drach. vi. sulphuris flauī, thuris, mei, hyo-
sciami albi, myrrhæ, styracis, cardam. ana drac.
viii. rutæ, costi. † cassiæ, ana drach. v. opij, man-
dragoræ, ana drachm. iij. croci, drachm. ij. & di-
midiam: melle despumato excipe, post sex
mensēs vtēre.

† casta ab-
qui cod. ha-
bent drach.
vi.

MAN. **M**AGNAM vim habet in dolore renū, & spiran-
di difficultate, in quibus locis paratur: nec diffi-
le esset vbiq; parare. quācūque enim in eo ponenda,
nota sunt. Sunt qui hoc pacto parent: Sulphuris ignem
non experti, hyosciāmi, cardamomi, styracis, opij, myr-
rhæ, costi, rutæ, ana drach. x. croci, piperis, ana drach. iij.
cassie drach. xij. libyfici, drac. iij. mellis quantum sat sit.

SYLV. **F**VERIT hæc antidotus efficacissima ad ea, quæ pollicetur,
Sulphur viuū autem vbiq; Gal. prædicat hic citreū seu
flauū, quod ignem expertum videtur: quemadmodum, & viri-
de, pallidum, & cinereum in cannas coniectum, & ab his forma-
tum. Optimum existimari, quod chymistæ sublimando (vt lo-
quuntur) purgāt, & tenuant, odorisque & saporis insuauitate exuūt.
Opera prope omnia hic adscripta sulphur solum præstat, vt vires
eius legenti in nostris simplicibus patebit. Tamen, quæ illi addū-
tur, actiones eius reddunt meliores, quorum plurima venenis resi-
stunt. Sunt, & in eo stupefacientia quædam mista potius, vt aliorū
valenter calentium vehementiam frangant, quā vt stupefaciāt:
ita, vt vis eorum paucorum sexto mense fracta, multis calentibus
elanguerit. Magnam vero vim habet in dolore renū, & spiran-
di difficultate.

COST. **D**ELIGENDVM sulphur ignem non expertū,
quam maxime splendidum, ac minime lapidosū:
citrium autem ex Authoris iussu: aut si etiam ignem
expertum sumas (neque enim de hac re Mesue quic-
quam) quod viret ac præpingue spectatur. Chymicum
vero ex quo per sublimationem, vt aiunt, extractus sit
odor ac sapor quanquam potentissimus ad multa, nullo
pacto ego admitterem, vt Syluius. cui enim neq; odor,
neque, quod maxime refert, sius inest sapor, deesse, &
suas vires verisimile est.

MESVE.



CONFECTIO ex Styrace, alui
immodicū fluorem biliosum,
aut pituitosum sistit, tinesmum
à causa frigida natum sanat. Re-
cipit styracis liquidi, opij, † assa-
ri hyosciāmi albi, castorij, croci,
myrrhæ, thuris, partes æquales, melle sufficienti
comprehenduntur.

†, struini.

CRH. Hæc confectio de styrace interdum in vsu habe-
tur. Rasis 9. ad Almanforem cap. de fluxu ventris
habet vnam aliam descr. non differentem ab ista
Mesue nisi in vna re, scilicet in croco. quia Mesue
habet hic crocum, Rasis autem non.

ASTYRAX verus lachryma est, humiditatem non re-
mittens nisi dum manibus attrectatur. Fit vero ar-
te quædam miscella, quæ grauis est, & somnum fa-
ciens, quam hic puto Mesuen intellexisse, & esse quam
liquidam vocant. Vide Diosc. si tamen hoc melius in-
telligere velis, lege Gal. in lib. de Antidotis.

PER styracem liquidam à Mesue intelligi miscellam quan-
dam grauiem, & somniferam putat Manar. ex Diosc. Galen.
antidotis. **SYLVII**

STYRAX liquida liquor est, qui ex mirrha fit a-
qua conspersa ac expressa, vt docet Serap. statte
autem Dioscoridi vocatur. sed quid sit quod ad nos ho-
die affertur styracis liquida nomenclatione, & quo pa-
cto paretur, ignoramus. Hic, si per me liceret, solidū,
& verum styracem siuerem, qui haberi probatissimus
potest, & in fluxionibus etiam commendatur. præser-
tim, quod myrrha ex qua liquidus ille conficitur huc
etiam venit. aut certe, si quid velis stiraci liquido
magis simile, oleum simes ex myrrha caloris vi
expressum.

DISTINCTIO TERTIA

de Medicinis solutiuis.

MESVE.



MEDICAMENTA purgatiua sunt
quædam aloë, alia colocynthi-
de, alia turbit, nonnulla scam-
monio, alia alijs. De quibus or-
dine nobis dicendum est, Pri-
mum de hieris.

TERTIA distinctio de medicinis solutiuis, **CHR.**
quarum quædam conficiuntur cum aloë, quæ-
dam cum colocynthide, quædam cum turbit, quæ-
dam cum scammonia, & quædam cum alijs medi-
cinis solut. fortibus, quædam cum pluribus ex eis, sicut
inferius per ordinem apparebit.

MESVE.



HIERA picra idest amara Galeni,
facultatibus multis insignibus ef-
ficax. Siquidem calfacit, tenuat,
incidit, terget, siccit, obstructio-
nes aperit, humores, ac status, pra-
uos, crassos, lentos, poris corporis

tanquam spōgiæ cauernullis imbibitos separat,
digerit, expurgat commode. Magis autem pur-
gatrix est cum aloë illota, sed minus roboratrix,
contra vero, quæ cum aloë lota paratur, minus
aluum subducit, magis ventrem roborat, affe-
ctibus capitis, ventriculi, hepatis, renū, vteri,
iuncturarum, & cæterarum partium frigidis, mi-
re confert, humorem ab his partibus frigidū aut
putrem vacuando. Recipit cinnamomi, masti-
ches, asari, spicæ nardi, carpobalsami, croci, † xy-
loaloes, cassiæ, partes æquales, aloës duplum pō-
dus omnium, Quidam addunt schœnu anthos,
alijs absinthium, alijs alia. Quidam melle exci-
piunt, alijs sine melle in trochiscos fingunt cum
aqua bdelij, & tragacanthi.

† al xilabai-
sami

Mesue.

T 3

HIE-